

Interior leges. Tunc omnia jure tenebis,  
 Cum poteris Rex esse tui, Proclivior usus  
 In pejora datur. Suadetque licentia luxum  
 Illecebrisque effrena favet; tunc vivere castè  
 Asperius, cum prompta Venus; tunc durius ira  
 Consultitur, cum pana patet sed comprime motus  
 Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse licebit,  
 Occurrat, mentemque domet respectus honesti.

24 Quibus adstipulatur illud Boëtii (g), sic Tyrannos, de quibus loquimur, admonens, qualiter debeant, & possint in veros Reges evadere, & curas, quibus, ut dicimus, semper premuntur, à suis peccatoribus, Colossi nostri similibus, removere:

Qui se volet esse potentem,  
 Animos domet ille feroces,  
 Nec victa libidine colla  
 Fœdis submittat habenis.  
 Etenim licet Indica tellus  
 Longè tua jura tremiscat,  
 Et serviât ultima Thule;  
 Tamen atraspellere curas  
 Miserasque fugare querelas  
 Non posse, Potentia non est.

25 Et hoc qui non fecerit, sciat se veluti scopum ad universorum mortalium odium esse propositum, nec diu in Imperio stare posse, cum tandem, quas intrinsecus patitur furias, quicquid sibi plurimum caveat, extrinsecus sit passurus, illudque Juvenalis (r) certissimum experturus:

Ad generum Cereris sine cade, vulnere pauci  
 Descendant Reges, & sic ea morti Tyranni.

26 Quod elegantissimis verbis Plinius Junior (s) ostendit, adducens exemplum Domitiani, intra arcana cubilia, fœdosque recessus, in quos timore, & superbia, & odio hominum agebatur, occisi, & Trajani, qui inter medios cives tutus, & hilaris versabatur, & sic iniquus: Quanto nunc tutior, quanto securior eadem domus, postquam ejus non credulitate, sed amoris excubiis, non solitudine, & claustris: sed civium celebritate defenditur. Et quid ergo discimus experimento, fidissimam esse custodiam Principis ipsius innocentiam. Hæc ars inaccessa, hoc inexpugnabile munimentum, munimento non egere, frustra se terrore succinxerit, quæ septus charitate non fuerit: armis enim arma irritantur.

27 Idque ipsum de Nerone præ sagiit (& postea eventus edocuit) Seneca (t) Tragicus, sive quisquis ille est, qui Octaviæ tragediam scripsit, hisce versiculis:

Licet extruat marmoribus, & auro tegat  
 Superbus aulam: limen armate Ducis  
 Serpent cohortes; mittat immensas opes  
 Exhaustus orbis: supplices dextram petant  
 Parthi cruentam; Regna diutius ferant.  
 Venit dies, tempusque, quo reddat suis  
 Animam nocentem sceleribus, jugulum hostibus,  
 Desertus, & destructus, & cunctis egenus.

EM

(g) Boët. lib. 3. Met. 5.  
 (r) Juvenal. Satyr. 10.

(s) Plinius Jun. in Panegy.  
 (t) Seneca in Octav.

EMBLEMA XVII.  
 REGUM VIGILIA.



Servus Achæmonios ad publica munera Reges  
 Suscitât, ut primus mulserit ora sopor.  
 Quid juvat, ô Princeps, pigræ indulgere quieti?  
 Non regis ut cesses, ut patiare regis.

## COMMENTARIUS.



Uamvis de inesenti Regum cura in suo munere exercendo, satis superque actum in superioribus videatur, adhuc tamen non abs re esse duxi, aliqua in præsentiarum subnectere, de eximia vigilia, seu vigilantia, quæ in ipsis desideratur, quò magis ad eam amplectendam expurgentur. Quam veteres Ægyptii, ut Plutarchus (a) refert, per oculum super Osiridis Sceptrum collocatum, significabant. Sic insinuantes, Reges, oculorum aciem super intentam, atque apertam habere debere, & Sceptro, quæ præviderunt, vel prospexerunt, regere, & gubernare; & cum sit, veluti humani quidam Dii, ut eos Plato in suis Politicis vocat, indesinenter curare, ut omnium somnos sua vigilia tueatur.

2 Eadem etiam ratione alii apud Pierium (b) Valerianum, Leonem eorumdem Regum symbolum, sive hieroglyphicum esse voluerunt, non tam quòd hic ceteris animalibus dominetur, quàm quòd natura, veluti hoc munus præsentens, eum oculis acutissimis dotaverit (unde & Græcis à videndi potentia nomen habuit) nec unquam omninò admittat soporem, sicuti Manethon tradit in libro, quem ad Herodotum scripsit. Quod tamen aliis per absurdum videtur, quibus Cælius Rhodiginus (c) assentit, ex Aristotelis doctrina probantibus, nullum esse animal, cui perpetua vigilia sit. Ceterum in eo omnes pariter conveniunt, quòd leo somnum parissimum sumit, & tunc (ut Dorcades) apertis oculis conquiescit, fortè quia est ei oculus permagnus, & incumbens ipsi pellis, sive palpebra, longè minor, quàm ut oculum totum valeat obtegere. Quod pariter in Regibus proprium esse debet, ut etiam cum dormiunt, vigilare credantur.

3 Huic rationi aliam addit Pierius (d), nimirum, inter reliqua animalia leonem solum esse, qui apertis oculis nascatur, indeque aptissimè vigilantiam, quæ in Regibus requiritur, designare. Cujus etiam consideratione habita, olim, præ templorum foribus tamquam eorum custos constabatur, ut Orus (e) Apollo his verbis ostendit: *Vigilantem, & sedulum hominem, & custodem, cum Ægyptii volunt ostendere, leonis caput pingunt, quoniam leo vigilans oculos claudit;*

M<sup>2</sup>

(a) Plut. in lib. de Isid. & Osirid.  
 (b) Pier. in Hierogl. lib. 1. pag. 2.  
 (c) Rhod. lib. 13. cap. 18.

(d) Pier. lib. 1. pag. 2.  
 (e) Orus in Hierog. cap. 19.

92  
dit; eosdem cum dormit, apertos habet: quod quidem custodiæ, atque excubiæ signum est. Unde, & non absque significatione, templorum claustris leones, qui sint custodum loco, appinserunt.

4 Et ad hoc respexit Alciatus (f), dum vigilantiam, & custodiam, per Gallum in editori templorum loco positum, & leonem ad eorum fores excubantem, in uno ex suis doctis Emblematis significavit, sic inquit:

Instantis quod signa canens det Gallus Eoi,  
Et revocet famulas ad nova pensa manus:  
Turribus in sacris effingitur ærea pelvis,  
Ad superos mentem, quod revocet vigilem.  
Est leo, sed custos, oculis quia dormit apertis,  
Templorum idcirco ponitur ante fores.

5 Saavedra (g) quoque Noster, ex eadem hac leonis natura & pictura, aliud symbolum fecit, sub lemmate *Majestate securus*, nisi quod in eo, magis Regum dissimulationem, quam vigilantiam edocet. Et Græci per Noctuum, quam Palladi sacrarunt, eique adsidentem finxerunt, vigilantiam strenuo ac circumsperto Duci necessaria indicare voluerunt. Unde, teste *Justino (h)*, Hieroni Syracusanorum Regi, etiam num adolescenti, & prima prælia ineunti, Aquila in Clypeo, & Noctua in hasta consedit, quod ostentum, & consilio cautum, & manu promptum, Regemque futurum significavit. Et in numis Constantini Noctua cernitur, columnæ insidens. Adstant hasta, & clypeus, adjacente galea, cum inscriptione, *Principis Providentissimi Sapientia*. Unde *Scoonhovius (i)* hoc Emblemata confixit, sub titulo, *Noctua Minervæ Sacra Noctæ vigent sensus. Hinc est, Sacrata Minervæ Noctua, quæ triplici lumine nocte videt.*

6 Frequentior quoque in eandem rem est, sed non contemnenda similitudo, ex gruibus sumi solita; inter quas, quæ reliquarum Dux est, noctu uno pede elato consistit, ac vigilat, in quo lapidem habet, ut magis à sopore arceatur, & grex reliquos securè somnum sub Ducis sui vigilia traducere possit. Quo symbolo, cum inscriptione, *Non dormiat qui custodit*, usus fertur *Henricus Rex Angliæ VII.* ut memorat *Octavius Strada (k)*, & postea *Ferdinandus San-Severinus*, Princeps *Salerni*, *Magister Equitum Caroli V.* ut refert *Sylvester à Petra-Sanctæ (l)*, cum hac, *officium natura docet*. Nam ei studium, & exercitatio in naturam veterant, ut esset vigil. Et novissimè eodem utitur idem *Florentius Scoonhovius (m)* in Emblemate, cui fecit titulum, *Typus Regum*, his, subjectis carminibus:

Excubias Dux sola gerit, pars cetera dormit  
Tuta, nec infidos sperat ab hoste dolos:  
Dux notat hæc Regem vigilantem pro grege, qui si  
Dormiat, incautum vastet ovile lupus.

7 Qui omnes hoc ex *Plinio (n)* sumpsisse videntur, qui inter alia, quæ de gruibus memorat, sic habet: *Excubias habent nocturnis temporibus. Excubitor lapillum pede sustinet, qui laxatus somno, & decidens, in diligentiam coarguat. Ceteræ dormiunt, capite infra alam condito, alternis pedibus insistentes. Dux recto prævidet collo, & prædicat. Cui loco hærens, Ego quoque ex hoc typo Emblemata paraveram, his versibus ludens:*

Ecce grues rapidas, immersas membra sopore.  
Solaque in excubias pervigil una tacet.  
Te monet, ô Princeps, retinens pede docta lapillum,  
Pervigilem Regno convenit esse gruem.

8 Ceterum cum jam ab aliis præreptum cognoscerem, cordi fuit aliud ex historia Magni Alexandri formare, de quo *Q. Curtius (o)*, & alii passim recensent, brachio extra lectum extento dormire solitum, cum pila in manu super pelvim aheneum, ut cadente pila, sonitu expergisceretur, sicuti de grue excubitore diximus; & *Petrus Crinitus (p)* de eodem Alexandro, & de ejus præceptore *Aristotele*, & de *Juliano Imperatore* memorat, & qualiter noctem distribuebant. Sed tamen hoc quoque occupasse *Labæum Batillium (q)*, & inter sua Emblemata

(f) Alciat. Emblem. 15.  
(g) Saaved. Fmp. 45. pag. 298.  
(h) Justin. lib. 24.  
(i) Scoonh. Emblem. 18. pag. 52.  
(k) Strad. in Symb. Reg. pag. 47.  
(l) Petr. Sancta in sym. Sol. pag. 277.

(m) Scoonhov. Embl. 22. pag. 67.  
(n) Plin. lib. 10. capit. 22. Plutarc. in lib. de anim. hist.  
(o) Curt. lib.  
(p) Crinit. lib. 19. cap. 1.  
(q) Batill. Emblem. 31.

inseruisse reperi, cum lemmate, *Vigilantia Ducis*, & his carminibus:

Turpe Duci totas somno perducere noctes,  
Qui belli totum sustinet unus onus.  
Sensit Alexander, quum ne violentia somni  
Incautum opprimeret, languidiorque quies,  
Apposito juxta super exertabat abeno,  
Extentam globulo semi gravemque manum.  
Qui daret elapsus sonitum, strepitusque sonoros,  
Excussus stratis excuteretque sopor.

9 Quare tandem, hoc, quod vides, Emblemata, ad idem insinuandum formavi, ex Regum Persarum consuetudine sumptum, qui licet alias in subditos sibi homines crudeliter imperarent, ut post alios *Pontanus (r)* ostendit. Tamen *Aristoteles (s)*, *Plutarchus (t)*, *Brissonio (u)* *Coningo (x)*, & aliis referentibus, in more habuerunt, ut ab uno Cubiculariorum, summo mane ad thorum accedente, excitarentur his verbis: *Surge Rex, & negotia cura, quæ te curare voluit Mesorosmades, tuus Deus, cognoscentes nimirum, hoc sibi ex suscepti muneris natura præcipuè observandum; & vel in proverbium illud Homeri (y) transiisse, sic de suo Agamemnone verba facientis:*

Non decet ignavum tota producere somnum  
Noctæ virum, sub consilio, sub nomine cujus  
Tot populi degunt. Cui rerum cura fidesque  
Credita summatarum.

10 Qui idem summus Poëta, eandem ob causam, passim in sua *Illiade* *Jovem*, quoniam *Divum Princeps* erat, vigilantem semper inducit, bellorumque eventus disponentem, & quo pacto res sint tractandæ, interim *Diis* aliis somnum agentibus. Et hoc ipsum sentiens *Lucianus (z)*, has curas, & vigilias Regum latè prosequitur, & mutuatis prædictis *Homeri* versibus, de eodem *Agamemnone* ait:

Quippè nec *Atridem* *Agamemona* dulcis habebat  
Somnus, multigenas versantem pectore curas.

Ad quæ etiam alludit *Silius Italicus (a)*, inquit:

Turpe Duci totam somno traducere noctem,  
O Reçtor *Lybiæ* vigili stant bella *Magistro*.

11 *Seneca (b)* quoque, sæpè jam in superioribus ad partes adductus: *Omnium domos Principis vigilia defendi debere, ejusque curam excubare pro salute univrsorum, & quo* In cujus fortè imitationem *Paulus (c)* *I. C. de Præfectis vigilum* agens, incendiisque extinguendis, quæ frequentius noctu contingunt, scriptum reliquit: *Salutem loci, nemini magis curare competere, quam Domino loci, nec alium sufficere ei rei, quam Cæsarem*. Prout *Justinianus (d)* à se ipso curatum testatur, dum dicit: *Se noctes ducere insomnes, ut posteris quietem præparet; & Plinius (e) Junior* de suo *Trajano*, sic inquit: *Inde tibi parcus, & brevis somnus, nullumque amore nostri angustius tempus, quam quod sine nobis agis.*

12 *Sanctus* quoque *Jobus (f)* qui verus typus bonorum Principum dicitur, se summo mane surrexisse, & in civitatis portis constituisse ait, ad suum populum curandum, & judicandum. Quo loci *Olympiodorus*, hanc debere esse præcipuam Principum curam his verbis ostendit: *Tamquam Princeps quidam, & Magister ceteris ad virtutem, sic nec somno, nec ebrietatibus indulgebat: sed caritate commotus, de mane in plateis residebat, tamquam lex, atque effigies civitatis propositus.*

13 Legum quoque Custodes *Plato (g)* vult noctu surgere, & *Socrates* *Gubernatores* in somno capiendi continentes esse, ut possint, & tardè dormire, & ante diluculum surgere, & vigilare si opus sit. Sicque *Agésilus (h)* somno non domino, sed rebus servienti, utebatur. *Epaminondas*, *Tebanis* solutius comptantibus, solus vigil ac sobrius arma lustrabat, & *Ulpus Marcellus* à *Commodo (i)* Imperatore adversus *Britannos* missus, Dux omnino vigilantissimus, quam-

(r) Pontan. in bell. Artic. 2. part. pag. 164.

(s) Arist. lib. 1. Oecon.

(t) Plut. de doct. Arist.

(u) Briss. de Reg. Persar.

(x) Coning. in Theat. Pol. 2. part. pag. 127.

(y) Homer. Illiad. 2.

(z) Lucian. in somnio, sive de Gallo.

(a) Silv. Ital. in Tuc. 6.

(b) Senec. ad Polib. cap. 26. & lib. 1. de Clem. cap. 3.

(c) Paul. in l. nam salutem de offic. Præf. Vigil.

(d) Justin. in Præf. Nov. 3. in princ.

(e) Plin. in Paneg.

(f) Job. 29. 7.

(g) Platon. in lib. de leg.

(h) Xenoph. in Agesil.

(i) Herod. in Commodo.

quamquam somno alioqui resisteret natura, quo tamen magis id facere posset, inedia peccerat. Julianus Imperator nocte dimidiata semper exurgebat, & quoties voluit evigilavit; & Georgius Castriotus Scandenberg, quo tempore Epirum cepit, duabus horis tantum per singulas noctes somno indulsisse fertur. Ciceroque (k) de se ipso testatur, suo in consulatu semper vigillasse, & providisse, quemadmodum in tantis, & tam absconditis insidiis salvus esse Romanus populus posset.

14 Et Divus Ambrosius (l), historiam anserum tangens, qui Capitolium ne à Gallis interciperetur, sua vigilia, clangoreque servarunt: Merito (inquit) illis debes Roma quod regnas, Dii tui dormiebant, & vigilabant anseres, idem illis diebus anseri sacrificas, non Jovi. Cedunt enim Dii vestri anseribus, à quibus sciunt se esse defensos, ne & ipsi ad hostibus caperentur.

15 Rectissime quidem omnes, cum in omnibus vita nostra vigilia sit, quæ in iis præcipue viget, in quibus animus inquiet opere pascitur, & illud Catonis monitum valeat:

Plus vigila semper, nec somno deditus esto:  
Nam diuturna quies vitæ alimenta ministrat.

Et ultra alia damna, quæ secum affert, in quibus referendis latè Ludovicus Turrianus (m) insisit, dormiens mortuo similis sit, & ut bene Plinius (n) considerat, & alia adducens ille librorum helleo Tiraquellus (o), dimidium & amplius vitæ somnus hominibus auferat.

At certè longè rectius, ubi de Principibus agimus, qui tot tantisque negotiis, & rebus animum intendere debent, & cum sui Regni Cor sint, pro toto Regno vigilare, & re ipsa illud Canticorum (p) implere: Ego dormio, & cor meum vigilat. Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt, ut aliàs Apostolus (q) inquit, qui & ipse, hoc, non tam in vim consilii quàm præcepti, omnibus injungit, qui rationem sui muneris reddere debent, his verbis: Ipsi autem pervigilant, quasi rationem reddituri, ut plura alia sacra Scripturæ (r) loca missa faciam, quibus eadem hæc vigilia omnibus, qui aliis præpositi sunt, geminatissimè commendatur: Nemo quippè dormiens ulla re dignus est, ut apud Laërtium (s) divinus Plato nos admonet. Cui veluti subscribens Plautus (t) eandem sententiam aliquando latius his verbis ostendit: Vigilare decet hominem, qui vult sua temporis perficere officia, nam qui dormiunt libenter, sine lucro, & cum malis quiescunt.

16 Et de Principibus, & cum Principibus loquens Erasmus (u), idem ipsum sic eleganter commonefacit: Non licet dormit abundantum esse, qui clavo assidet: & in tantis rerum periculis stetit Princeps? Nullum mare tam graves tempestates habet unquam, quàm omne Regnum assidue. Semper itaque Principi vigilandum est, ne quid erret, qui non nisi plurimorum pernicie delinquit. Magnitudo navis, aut mercium pretia, aut victorum numerus, non facit elatiorem, bonum nauclerum, sed attentorem; ita bonus Rex, quo pluribus imperat hoc vigilantior esse debet, non insolentior, non somnolentior.

17 Et certè, quemadmodum apud Latinorum Poëtarum Principem (x), dum Palinurus vigilans navim gubernabat,

Clavumque affixus, & hærens

Nusquam amittebar, oculosque sub astra tenebat.

Ipsa navis incolumis mansit; est verò ubi Lethæo sopori feroque ramo cospersus:

Vix primos inopina quies laxaverat artus,

Et super incumbens, cum puppis parte revulsa,

Cumque gubernaculo, liquidas projecit in undas

Præcipitem, ac socios nec quicquam voce vocantem.

Sic pariter, in hac hominum navi, innumeræ animæ in occasum trahuntur, nisi publicus ille Palinurus evigilet, sciatque ex sua cura totius navis salutem pendere; & vel brevi illo tempore, quo somnum capit, corpus simul, & animum ad melius vigilandum, gubernandumque disponere, & Antipatrum aliquem substituere, qui pro ipso tunc temporis clavium Imperii teneat, ut de Philippo, Mæcedonum Rege, Plutarchus (y) commemorat, dum somnum, quem sumpserat, excusans. Tuto (inquit) dormivi, quia Antipater pro me vigilat. Idemque Philippus cum

(k) Cicero in 2. Cutilin.

(l) D. Ambrosius lib. 5. Hexam.

(m) Torres in Philor. mor. Princ. pag. 408. & seqq.

(n) Plin. in Prefat. ad lib. de nat. hist. & lib. 7. cap. 59.

(o) Tiraq. de pan. temp. causa 5.

(p) Cantic. 5. 2.

(q) D. Paulus ad Ephes. 5. 16.

(r) Idem ad Hebr. 13. 17. Matth. 24. 43. 25. 13. 26.

41. Marc. 13. 33. Luc. 12. 37. & 21. 36. Roman. 13. 11.

Corint. 1. 15. 34. & 2. Tim. 4. 5. & 1. Pet. 4. 7. & 5.

8. &c.

(s) Laert. lib. 3. in Platone.

(t) Plaut. in Rudent.

(u) Erasmi in lib. de instit. Princip.

(x) Virgil. 6. Æneid.

(y) Plut. in Apophthegm.

cum interdiu dormiret, Græcique ad ferias convenientes, illum criminarentur: Nolite admirari (inquit Parmenio, apud eundem Plutarchum (z) si nunc Philippus dormit: nam quando vos dormiebatis, ille vigilabat.

18 His addo ita propriam, & regendi muneri veluti insitam esse vigiliam, ut vel ex ejus observatione Imperii Romani purpuram Vespasiano prædixit, anguratusque fuerit Apollonius Tyanæus, ut Philostratus (a) in ejus vita, his verbis scripsit: Postridie, Aurora jam exorta, veniens ad Regiam Apollonius, quidnam Rex ageret, ex satellitibus quæsit. Qui illum tam pridem surrexisse dixerunt, & tunc scribendis epistolis vacare, quo audito discessit Apollonius, Damidi dicens, Vir imperabit.

19 Quod & ipsam Ethnici veteres denotarunt, dum Pastorem (qualem Regem esse jam diximus) Argo Centoclo comparabant, ut sic nunquam illum ita somno sepeliri debere significarent, ut omnem sui gregis sollicitudinem deponeret. Et Plato (c) inter suas leges, hanc omnibus quidem, sed Principibus tamen cum primis salutarem, & necessariam, præscripsit. Quicumque vivere, & sapere cupit, maximè quam longissimo tempore vigilet, sola sanitatis commoditate servata: ad hanc verò non multo opus est somno, si bene assueveris somnis: Magistratus profecto in urbibus noctu vigilantes, hostibus terrore sunt.

20 Et sanè, ex eodem etiam Platone narrat Plutarchus (d), apud Lacedæmonios gravissimas causas ad nocturnam conventum rejici solitas, & Græcis noctem, à Bene sapiendo nomen habere, quod existimarent, noctis vigiliæ ad considerandum, & consultandum de rebus gravibus aptissimas esse, nullam quæ acriorem, nullam altiore cogitationem, quàm nocturnam. Unde Scopelianus Sophista, consortem Sapientiæ Dei noctem appellare solebat. Habet enim hominum mens in alto illo silentio, corporis sensibus jam feriatis, aliquid divinitatis, si se se intenderit ad rerum sublimium speculationem, & ut Plautus (e) in Epidico ait:

De die sæpè stulti vidimus, contra noctu,  
Licet Senatam in corde convocare Consiliarium.

Cui assentiens Plinius Junior (f): Mirè (inquit) silentio, & tenebris animus altur, ab iis, quæ avocant, abductus, & liber, & mihi relictus, non oculos animo, sed animum oculis sequor, qui eadem quæ mens videns, cum non videt alia.

21 Quod fecit, ut in Adagium transierit, Noctu urgenda consilia, & In Nocte consilium, in quorum exornationem alia tradit Erasmus (g), quibus Hispana nostra conveniunt, Dormir sobre el negocio, Consultar la Almohada, de quo Ælianum (h) legere poteris. Idemque Aristophanis sive Cleantis lucernam adeo nobilem reddidit, ut apud eundem Erasmus (i) habetur, & Demosthenem præceteris commendavit. Quem Cicero (k) affirmat, seriò doluisse, si quando ab artificibus antelucana victus esset industria. Et non est omittendum Jacobi Trentii ad Philippum II. nobile dictum, dum inter alia, qua Principibus & Magistratibus deesse consideravit, quavis alioqui multa possideant, hoc unum esse dixit, quod nunquam Orientem Erasmum adspexerint, nec Auroræ, & Matutini tempus suavissimos flatus, & salutare effectus experti sint.

21 Ex quibus satis Principes cognoscere poterunt, quàm illi malè se gerant, qui vel somno nimis per totam noctem indulgent, vel ejusdem vigiliæ, non publicis, ut debent, curis intendunt, sed stupiis, adulteriis, comessationibus, aliisque vitis, & oblectamentis: quibus Nero apud Petronia (l) Arbitrum integras noctes transegisse notatur, qui & ipse, illorum, non solum testis, verum consors, & Arbitrator fuit, ut latè Tacitus (m) memorat. Adde insigne Hannibalis exemplum, & carmen de eo apud Silium Italicum (n):

Vigil ille, nec ullam  
Ad requiem faciliis, credensque abscedere vitæ,  
Quod Sapor eripiat tempus.

Et Agapetum Diaconum (o) Ceu gubernator, ita vigilet Imperatoris oculatissimus intellectus, continens tutò æquitatis clavos, atque expellens fortiter impetuosos iniquitatis fluctus, ut ne cymba mundanæ Reipublicæ illidatur eis.

EM.

(z) Idem Plut. ibidem.

(a) Philostr. de vita Apol. lib. 5. cap. 1. in princip.

(b) Sup. Emblem. II.

(c) Plato lib. 3. de leg.

(d) Plutar. in Symposiac. dec. 7. prob. 9.

(e) Plaut. in Epid.

(f) Plin. Jun. lib. 9. epist. 36.

(g) Erasmi in Adag. pag. mibi 129. & 199.

(h) Ælian. de var. hist. lib. 3. cap. 11.

(i) Erasmi pag. 200.

(k) Cicero 4. Tuscul.

(l) Petron. in sat.

(m) Tacit. lib. 16. Annal.

(n) Syl. Ital. lib. 12.

(o) Agap. Diacon. in paranes. ad Just. Imperat.

EMBLEMA XVIII  
IN REGES DESIDES.



Rex agit in Scena frontem Diademate victus,  
Et clamyde insignis Sceptra superba gerit:  
Nil jubet, aut loquitur Tragici tenet inde Cothurni  
Primas sed partes nuntius, aut famulus.  
Regibus aptantur tot priscae ludicra Scenae;  
Qui nisi res agitent, nomen inane ferunt.

COMMENTARIUS.

**I** UM ergo, docente Seneca (a) *Officium sit imperare, non Regnum*; Regesque à Regendo dicantur, & unusquisque secundum etymologiam sui nominis vivere debeat, ut ex Sacris Canonibus Nicolaus Cusanus (b) admonuit, merito post Ausonium (c), & Horatium (d) Divus Isidorus (e) scriptum reliquit, tamdiu quemlibet Regis nomen tenere, quamdiu rectè fecerit, & concredium sibi à Deo munus impleverit. Quod idem valet, atque illud Divi Pauli (f):

*Qui præsunt, in sollicitudine præsunt.* Hoc est, ut pro commissis sibi populis eos labores, curas, vigiliasque suscipiant, de quibus adeò latè in superioribus diximus. Sciantque magnam, qua se pollere credunt Fortunam, non in licentiam, sed in patientiam vertere, & Nomen, Numenve suum, non tam honoris, quam oneris esse, non felicissimi, sed vigilantissimi, non desidiae, non otii, non superbiae, non voluptatis, sed laboris, ac diligentiae.

**2** Et cujusdam Dei Optimi Maximi representationis, quæ indesinenter in regendo, gubernan-

(a) Senec. epist. 90.  
(b) Nicol. de Cur. lib. 5. exc. pag. 412.  
(c) Auson. in Monos.

(d) Horat. lib. 1. epist. 1.  
(e) Isidor. de sum. bono, cap. 98.  
(f) D. Paul. in epist. ad Rom. cap. 18. vers. 8.

nandoque orbe, quem condidit, exercetur, ut præclare Divus Augustinus (g), & Gregorius (h) scribunt, & vel Horatius (i) agnovit, dum canit:

Qui terram inertem, qui mare temperat  
Ventosum: & urbes, regnaque tristia,  
Divosque, mortalesque turbas  
Imperio regit unus æquo.

Quem Seneca (k) Tragicus, Silius (l) Italicus, & alii passim Poëta æmulari videntur, sed pius ceteris Boëtius (m), sic inquires:

Sedet interea conditor ætus  
Rerumque regens flexit habenas,  
Rex, & Dominus, Fons, & Origo,  
Lex, & Sapiens, Arbitræ Equi,  
Et quæ motu concitat ira,  
Sistit retrahens, ac vaga firmat:  
Nam nisi rectos revocans ortus  
Flexos iterum cogat in orbes,  
Quæ nunc stabiles continet ordo,  
Dissipata suo fonte fatiscunt.

**3** Et virilem hanc, pro virili, in regibus curam, & damna, quæ plurimi eorum omnibus retro seculis passi sunt, quòd eam declinaverit, adeò latè plures ex sanctis Patribus, & omnes Historici, & Politici Scriptores (n) exaggerant, ut improbus planè censeri possim, si in eis referendis, vel transferendis immerer. Quare contentus ero Plutarchi (o) locum, & similitudinem eisdem ob oculos ponere, qui Reges desides sui que muneris, & conditionis oblitos, Tragicis comparat, quorum ne vox quidem ulla in veterum tragœdiis exaudiebatur, sed Sceptrum, & Diadema præferentes, inane nomen representabant, & alii totius fabulæ Scenam agebant. Quam similitudinem hoc nostrum Emblema figurat, & Plutarcho non citato, sibi sumpsit Erasmus (p), addens, Græcè, tales Personas *Doriphoremata* dici, & Reges, ut nos facimus hortans, ut ea, quæ verè sunt Regum, ac principum agant. Et Pavoni, vel ob hanc causam Regnum à ceteris avibus denegatum, quòd sua tantum pulchritudine, & inauratis plumis contentus, seu conchyliatis, & versicoloribus, omnique symmate solitioribus, ut eum graphicè Tertullianus (q) depingit, nihil aliud præstare, aut gerere soleat.

**4** Agathias (r) quoque, veluti ad hoc nostrum figmentum alludens, æquè prudenter hæc in verba prorupit: *Non ex purpura, seu quovis amiculo, & extrinsecus, quæ visuntur, & alitornamentis, Regium nomen est cuiquam tribuendum; sed ei, qui equitatem exerceat, nec decentia aspernetur, & cupiditates his solam rebus emetiatur, quæ animi stabilitum sapientiam.*

**5** Et sanè cum vel Cicerone (s) monente: *Hæsiunt virtutes Imperatoris, labor in negotiis, fortitudo in periculis, industria in agendo.* Quas reliquæ comitantur, quia mirabili quodam nexu, ac concentu se mutuò conjugant, ut optimè docuit Agellius (t), & ille Alter (u), qui dixit:

Virtutes stabili sunt omnes fœdere nexæ,  
Alteraque alterius diligit officium:  
Pectore constanti junctis ad vincula dextris  
Matua præsunt, & moderata colunt.

N

Nes-

(g) D. Aug. lib. 5. de Trinit. cap. 1.  
(h) Greg. sup. Ezech. homil. 18. & lib. 2. Moral.  
(i) Horat. lib. 3. Od. 4.  
(k) Seneca in Hipol.  
(l) Silius lib. 6.  
(m) Boet. lib. 4. de Consol. met. 6.  
(n) D. Aug. lib. 6. contra Faust. cap. 22. D. Bègitta in suis Revelat. lib. 8. cap. 16. latè Pined. in Job. cap. 29. vers. 5. Velazq. de Opt. Princ. ex pag. 374. Sancta-Maria in Pol. Christ. 1. part. cap. 3. Saavedra Emp. 37. ex pag. 413. & omnino Ferdin. Perez de Guzm. en su Mar de his-

torias, cap. 172.  
(o) Plutarc. in vita Lysand. & in moral.  
(p) Erasmi. intimit. fol. mibi 4. in fin. & in Adagio Tragicus Rex & in Adag. Fons occipit prior.  
(q) Tertull. in lib. de Pallio cap. 3. & in lib. de Anim. cap. 33.  
(r) Agath. lib. 4. histor.  
(s) Cicero. in orat. pro lege Manil.  
(t) Agel. lib. 7. cap. 6. & lib. 19. cap. 2.  
(u) Henr. Oræus Icone 35. virtutes cathenathæ.

6 Nescio equidem quo pacto Deo rationem sui muneris redditori sunt Principes, qui ad hanc curam non attendunt. Nam etsi non ignorem, nec inficier, Auxiliares aliorum manus ad tot subeuntium in Regnorum administratione negotiorum, expeditionem valde desiderati, ut alio loco (x) dicemus, non ideò tamen, omnes qui bene sentiunt, omnimodam ipsorum desidiam culpam, & carpere desunt. Cujus improba Siren, si vel à privatis fugienda est, ut Satiricus (y) monuit, jam apparet, quid de Regibus dicere, sentireque debeamus, de quibus verè dixit Catullus (z):

Otium Reges prius, & beatas  
Perdidit urbes.

Et Philo Judæus (a): Qui fugit laborem, fugit felicitatem. A diverso, qui fortiter patienterque difficultates tolerat, ad Beatitudinem properat. Cui convenit Epigramma illud Incerti Auctoris, inter Virgiliti opuscula adtextum, ubi de litera Pythagoræ agens, sic habet:

Quisquis enim duros casus virtutis amore  
Vicerit, ille sibi laudem, decusque paravit:  
At qui desidiam, luxumque sequetur inertem,  
Dum fugit oppositos incauta mente labores,  
Turpis, inopsque simul miserabile transiget ævum.

7 Ac magis ad rem nostram, de Regibus loquens Divus Augustinus (b), cujus verba supra aliud agentes ad longum retulimus, qui tunc Reges se regio nomine, ac munere dignos ostendere, inquit: Si juste imperent, & Imperii munia propriis virtutibus exercent, & ornent: & hæc omnia faciant, non propter ardorem inanis gloriæ, sed propter caritatem felicitatis æternæ. Cui loco nunc alium, non minus ad Nostri Emblematis illustrationem conducentem, D. Chrysologi (c) addimus, qui ita eosdem Reges, ac Principes commonet: Si à Deo Potestas omnis; à Deo Rex etiam dispensationis Regiæ adeptus est dignitatem, rationemque redditurus est, si in nullo creditæ Potestatis excesserit mensuram: Si Rex justitiam custodivit: si æquitatem tenuit: si potestatem moderatus est: si misericordiam non omisit: si tenuit sic ponderis sui libram, ut in neutram partem inclinaret. Si omnium curam gessit, si civium procuravit quietem: si sic temperavit sensum, ut neque militi sufficientia deessent, neque tributarius lassaretur.

8 Et hæc eadem commonito gloriosissimis Hispaniæ nostræ Regibus traditur in Concilio Toletano X. (d) ubi post multa, quæ de ipsis obediendis, observandis, conservandisque dicuntur, veluti in horum compensationem exposcit: Ut moderati, & mites erga subiectos existentes, cum justitia, & pietate populos à Deo sibi concreditos regant, bonamque vicissitudinem largitori Christo, qui eos constituit, rependant, Regnantes cum humilitate, & cum studio bonæ actionis.

9 His addere licet aliam præclaram Plutarchi (e) similitudinem, inquitentis, quòd qui navem gubernant, aliena voce, jusuque utuntur: sed qui Republicam gubernant, in se ipsis sapientiam habere debent, ut bene regere possint. Et elegantissima verba Petri Blesensis (f) à Nicolao Causino relata, dum exponit, cur suum Jovem Cretenses sine auribus pingerent, quæ sic habent: Qui dat divitias terræ, à Regibus aurum non postulat, vel argentum; sed ut audiant causam populi, & arguant pro mansuetis terræ.

10 Sed quoniam Reges aliorum Regum monitis, & exemplis magis suaderi, & affici solent, simile documentum, ejusque spretum nocumentum, in Basilii Imperatoris (g) ad suum filium institutione, in Alphonsi (h) Regis Aragonum I. dictis, & factis in vita Joannis Lusitani II. (i), & in præclara Philippi Cominæ (k) Historia, & in aliis passim libris legere poterunt, quæ Ego, quia obvia sunt, & brevitati consulo, silentio prætereo, solum quemdam novissimum Auctorem Gallum (l) adjecisse contentus, qui eandem nostri Emblematis imaginem, sive similitudinem premens, hanc desidiam, quam exulare à Bonis, & Prudentibus Regibus cupimus, Meroveis, antiquis, legitimis, & nobilissimis ejusdem Galliæ Regibus in causa fuisse inquit, ut Regnum

(x) Infr. Emblem. LIV.

(y) Horat. lib. 2. sat. 3.

(z) Catul. ad Lesbiam.

(a) Phil. Jud. lib. 3. de vita Moyse.

(b) D. Aug. lib. 5. de civit. Dei, cap. 24. de quo sup.

(c) Emblem. 2.

(d) D. Chrysost. serm. 26.

(e) Conc. Tolet. X. num. 65. pag. 360.

(f) Plut. in Moral.

(g) Basil. Imp. in instit. ad Fil. cap. 10.

(h) Panorm. de dict. & fact. Reg. Alphons.

(i) Resende in vita Joann. II.

(k) Comin. lib. 3. pag. mibi 372.

(l) Baltholom. de Vias in Sylvio Regis, Sylva 1.

(m) pag. 11.

ammitterent, & vetustam seriem, translato in Capetos, & Pipinos Imperio, novo sanguine conspurcarent, sic canens:

Nil reliquū superest, qui solo nomine Reges  
Vixerunt; quorum lascivæ ignavæ quieti  
Majestas famulans Meroveis abstulit ingens  
Solemnes inter partum Diadema triumphos.

Et postea in Commentariis (m) hoc idem pluribus aliis locis, & exemplis illustrat, Plutarchi, de quo agimus non omittens.

11 Quibus non incongruè illum alium Guntheri (n) addere possumus, qui suum Fredericum Imp. ob hanc curiam in rebus agendis præcipuè commendat, his verbis:

Non tamen in tanta Princeps ignava quiete  
Otia carpebat: credens hoc perdere tempus,  
Quo nihil adjectum Regni proventibus esset:  
Quamque aliis dederat Pacem sibi sponte negabat.

12 Et extat apud Baptistam Mantuanum (o), elegantissima, lectuque dignissima Desidiæ descriptio, ubi postquam de damnis, quæ in corpore generat, latissime egit, sic de his, quibus animum, & spiritum gravat, prudentissime loquitur:

Hæc fera servilis, sanctæ fastidia vitæ  
Ingerit, & tardos ad clara negotia sensus  
Semifero languore premit, frigentia corda  
Involvit gelido dense velamine nubes:  
Nil nisi terrenis haustum de fecibus unquam  
Cogitat; Annales veterum, dubianque futuri  
Temporis ignorat sortem; non ulla latentes  
Cernere naturas rerum, causasque tueri.  
Cura subit, subiecta oculis vix aspicit, ægrè  
Palpebras levat hærentes; humore tenaci  
Lumen habet: surdant aures, vox languida, sermo  
Barbarus, obscuro verba interclusa palato:  
Seminat infelix lolium, frigensque papaver,  
Lethæisque rigat steriles humoribus hortos.  
Plumbea liventi gestat comexa metallo  
Vincula, captivos hominis quibus alliget artus, &c.

Quæ sanè damna cum omnibus fugienda sint, jam apparet quid de Regibus sentire debeamus, qui pro omnibus agere, ut sæpè diximus, & satagere debent, & de quibus ubi se desidiæ & ignaviæ dedunt, non minus verè dicere potuit Ludovicus Vives (p): Principem in pluma & umbra, ut ajunt, assidue agentem, multa vitia necesse est circumstiteri, cum voluptatum titillantium nutritæ sit culcitra, cui morbo multum adjiciunt secreta cubiculorum conclavia.

13 Quo cum conveniunt alia, quæ apud Eruditissimum Nostrum Patrem Joannem Antonium Velazquez (q) reperies, dum latè discurret & probat alios Mortales, si sibi solis, vivant, haud reprehendendos: Principes verò reprehensione dignos esse, quia aliis nati, &c.



N 2

EM-

(m) Idem in Comm. ex pag. 53.

(n) Gunther. in Ligur. lib. 6. vers. 7.

(o) Mantuan. de Calam. suor. temp.

(p) Ludovic. Vives in epist. ad Henric. Reg. Angl.

VIII.

(q) P. Velazq. de Opt. Princip. pag. 346.